



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Cap. IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

ANNO
CHRISTI
433

procreatus, & facultatibus diues, hic nutritus fuerat quasi in domo Bassi exconsulis. Litigium ergo inter seruum Bassi & Epiphanium hoc euentu nascitur. Hic venit ad Sixtum episcopum, & cœpit rogare eum, vt ingenuitas eius seruaretur per ecclesiam. Veniens autem Sixtus episcopus vrbis Romanæ ad Bassum, cœpit rogare eum de ingenuitatis munimento. Tum iratus Bassus, respondit ad Sixtum episcopum: Nemo iudicabit dominum ex consilio serui. Nam & misit, & vniuersa prædia eius occupauit.

CAP. III.

Exiens autem & Sixtus episcopus, venit ad Valentinianum Augustum, & cœpit rogare eum de ingenuitate Epiphanii, tantum vt chirographo Augusti munitus, per ecclesiam vindicaretur. Et cœpit studiose (sicut decet ecclesiam semper) subleuare grauatos. Iratus autem Marinianus de his quæ supradicta sunt, venit ad Bassum, dicens quasi de malitia Sixti episcopi, & quod per Petrum seruum episcopi Sixti audierat, eo quod consecratam Chryfogonitem stuprasset.

CAP. IV.

Consilio inito, cœperunt ambo accusare eum Augusto Valentiniano, ita vt accenderentur Augustus & mater eius furore. Et suspenderunt se abinuicem a communionem. Sixtus autem episcopus vrbis Romæ, sciens omnia quæ de eo apud Augustum delata fuerant, & quod ab eius communionem multus populus se segregaret, venit in basilicam beati Petri apostoli, & fecit quasi supra scriptum verbum, & per Leonem diaconum populo enarrabat, dicens: Si delicta mea contra me sunt semper, probatio quare non fit? Et cœpit omnis vrba plebs clamare, vt dicta eius Augustus & clerus vrbis Romæ probarent examine.

CAP. V.

Hoc audito, Valentinianus Augustus dixit: Pia petitio. Et iussit fieri secundum dicta. Et congregauit vniuersum senatum vrbis Romæ. Et Sixtus episcopus congregauit presbyteros vrbis Romæ, & clerum, nec non & monasteria seruorum Dei. Et sederunt in vno confessu in basilica Heleniana, quæ dicitur fessorium. Et cœpit studio-